ANKARA ÜNİVERSİTESİ DİL VE TARİH-COĞRAFYA FAKÜLTESİ YAYINLARI NO: 242

LINGUA LÂTINA

LATİNCE DERS KİTABI

I

Yazanlar

Ord. Prof. Dr. Georg ROHDE Prof. Dr. Samim SİNANOĞLU

7. BASKI

ÖNSÖZ

Bu kitap üç öğretim yılında tamamlanacak olan bir Lâtin dili kursunun birinci kısmını teşkil eder. Lise klâsik kolu için hazırlanmış olan "Lingua Latina", aynı zamanda üniversite Lâtin dili kurslarında kullanılabilir. Bundan başka bu dili kendi başlarına öğrenmek istiyenlerin de istifade edeceği şekilde tertip edilmiştir.

Kitapta ele alınan gramer konuları şunlardır: beş isim çekimi (isimler ve sıfatlar), üçüncü fiil çekimi, en mühim zamir ve sayılar. Sintaks bahsinde en çok kullanılan tâli cümlelerle a. c. i. ve participium kurmalarının izahına yer verilmiştir. İkinci kitapta, asıl metinlerin okunmasına başlanmak üzere, morfoloji kısmı tamamlanacak, sintaks bilgileri genişletilecektir. Üçüncü kitapta Lâtin edebiyatından izahlı seçme parçalar yer alacaktır.

Üçüncü fiil çekimi ile öğretime başlamak, sintaksa derhal girişmekle Röttger'in hemen hemen yirmi yıldan beri başarı ile denenen metoduna bağlı kaldık. Bir kısım misalleri Röttger'in Lingua Latina adlı kitabından aldık, birkaç parçanın tesbitinde ve Exercitium kısmının teşkilinde de gene aynı yazarın Exercitium Latinum'undan faydalandık.

Böyle olmakla beraber kitabımız, bir bütün olarak, yenidir. Konuların taksimi ve izahında Türk öğrencilerinin ihtiyaçları göz önünde tutulmuştur. Kitap ilkin 1945-46, ikinci defa, bazı değişikliklerle, 1946-47 öğretim yıllarında sayfa sayfa teksir edilerek Ankara Atatürk ve Kız Liseleri klâsik kollarında denenmiştir. Bu yıllarda edindiğimiz tecrübeye dayanarak kitabı tekrar ele aldık ve birçok yerleri hayli kısaltarak, yeniden işledik.

Adı geçen iki lisenin klâsik kol öğretmenleri ile, zaman zaman ikazda bulunan ve Lâtin dili ile klâsik dünyaya karşı duydukları gerçek, sıcak ilgi ve gösterdikleri gayretle bize cesaret ve güven veren kız ve erkek öğrencilere burada teşekkür etmek doğru olur. Ancak okul için yazılmış da olsa, bu kitap hem onlar hem bizler için güzel, verimli, sevinç ve ümitle canlanan günlerin hâtırası olarak kalsın!

DİL VE TARİH-COĞRAFYA FAKÜLTESİ BASIMEVİ, ANKARA-1985

Lûgat kısmının tertiplenmesinde başlangıçtan beri değerli yardım da bulunan Ankara Kız Lisesi lâtince öğretmenlerinden Bn. Leylâ Özbay'a da bilhassa teşekkür ederiz.

Ankara, Ekim 1947

Georg ROHDE
Samim SİNANOĞLU

İÇİNDEKİLER

Kitap yirmi l e c t i o ' ya (derse) ayrılmıştır. Değişik konuların yer aldığı her lectio'ya birer e x e r c i t i u m (alıştırma), g r a m m a t i c a (gramer) ve v o c a b ú l a (sözlük) kısmı bağlanmıştır. Her lectio'ya giren morfoloji ve sintaks bahisleri aşağıda ayrı ayrı gösterilmiştir.

G i r i ş

Lâtin dili - Yazı ve söyleyiş - Vurgu - Uzun ve kısa heceler - Kelime sınıfları - İsim ve sıfatların özellikleri - İsim çekimleri - Fiillerin özellikleri - Fiil çekimleri.

I.

Nomen : Birinci isim çekimi - -as'la biten özel isimler.
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: praesens indikativi.
Sintaks : Belirtili ve belirtisiz isimler - in ve ad ile akkuzativ - Ablativi anlamları - Olumsuz fiil - Soru şekli - Cümlenin esas unsurları - metuo ile akkuzativ.

II.

Nomen : İkinci isim çekimi - -us ve -um'la biten isimler.
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: imperfectum indikativi.
Sintaks : esse ile dativ - Sayı sıfatlarının uyması.

III.

Nomen : deus - Şahıs zamirleri.
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: futurum imperativi.
Sintaks : Şart cümlesi ve futurum'un kullanılışı.

IV.

Nomen : -us -a -um'la biten sıfatlar - loci ve loca çoğul şekilleri.

Verbum: esse yardımcı fiili: praesens, imperfectum, futurum indikativi; imperativ.
Sintaks : Sıfatın kullanılışı.

V.

Nomen : Birinci ve ikinci isim çekimi cins kuralları - dea ve filia - Soru zamirleri: qui, quae, quod; quis, quid.
Sintaks : peritus ile genitiv.

VI.

Nomen : İkinci isim çekimi: -er'le biten isimler - er'le biten sıfatlar.

VII.

Nomen : —
Verbum: esse yardımcı fiili: perfectum, plusquamperf. ve futurum exactum indikativi.
Sintaks : Multis locis - quod bağlacı - esse ile katışık fiillerin aldığı haller - multos annos (zaman akkuzativi).

VIII.

Nomen : is ea id işaret zamiri.
Verbum: Fiilin temel gövdeleri - -s ile yapılan perfectum gövdesi - perfectum gövdesinden yapılan zamanlar.
Sintaks : praesens gövdesi ile perfectum gövdesi - postquam bağlacı - eo anno (zaman ablativi) - Şehir ve küçük ada adları - Dönüşlü zamirin kullanılışı.

IX.

Nomen : Dördüncü isim çekimi - -us'la biten dişi cinsten isimler - Özellikler.
Verbum: —
Sintaks : —

X.

Nomen : —
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: praesens gövdesi konyunktiv şekilleri.

Sintaks : praesens konyunktivinin anlamları - Tâli istek cümlesi - Final cümle - Bu cümlelerde zaman kullanılışı.

XI.

Nomen : —
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: perfectum gövdesi konyunktiv şekilleri.
Sintaks : cum narrativum - cum causale - esas ve tâli zamanlar - irreal şart cümlesi.

XII.

Nomen : Beşinci isim çekimi.
Verbum: esse'nin konyunktiv şekilleri.
Sintaks : amici est - esse ile çift dativ.

XIII.

Nomen : —
Verbum: perfectum passivum participium'u - Bundan yapılan şekiller.
Sintaks : perfectum passivum participium'unun sıfat gibi kullanılışı.

XIV.

Nomen : Üçüncü isim çekimi: sessizle biten erkek cinsten gövdeler - Sessizle biten gövdelerin çekimi.
Verbum: —
Sintaks : Ablativus limitationis - Sıfat ve participium'un yükleme bağlı olarak kullanılışı.

XV.

Nomen : İlgi zamiri.
Verbum: —
Sintaks : İlgi zamirinin kullanılışı ve Türkçeye tercümesi.

XVI.

Nomen : —
Verbum: posse ile prodesse fiilleri

Sintaks : Konsekutiv cümle.

XVII.

Nomen : —
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: praesens gövdesinden yapılan passiv şekiller.
Sintaks : —

XVIII.

Nomen : Üçüncü isim çekimi: sessizle biten dişi cinsten gövdeler; istisnalar.
Verbum: —
Sintaks : A. c. i. kurması - Nesne ve özne olarak kullanılışı - Zaman münasebeti.

XIX.

Nomen : Zarfların yapılışı: birinci ve ikinci isim çekimi sıfatlarından.
Verbum: Ses değişimi ile yapılan perfectum gövdesi.
Sintaks: Ablativus qualitatis - Yükleme bağlı olarak kullanılan isimler.

XX.

Nomen : Üçüncü isim çekimi: sessizle biten cinssiz gövdeler.
Verbum: —
Sintaks : —

XXI.

Nomen : —
Verbum: Üçüncü fiil çekimi: -i ile biten gövdeler.
Sintaks : Ablativus modi.

XXII.

Nomen : Üçüncü isim çekimi: gövdeleri -i ile biten isimler (-e, -al, -ar'la biten isimler - -is veya -es'le biten parisillablar - vis - -is'le biten şehir ve nehir adları - cins kuralı ve istisnalar - Tekil genitiv bitiminden önce iki veya üç sessiz bulunan isimler - Cins kuralı ve istisnalar).

Verbum: praesens gövdesi ile perfectum gövdesi bir olan fiiller.
Sintaks : —

XXIII.

Nomen : hic haec hoc ve ille illa illud işaret zamirleri - unus, duo, tres.
Verbum: Reduplicatio (tekrar) ile yapılan perfectum gövdesi.
Sintaks : accidit, ut...

XXIV.

Nomen : Üçüncü isim çekimi sıfatları: üç ve iki şekilli sıfatlar - -er ve -is'le biten ay adları - Zarf yapılışı: üçüncü isim çekimine giren üç ve iki şekilli sıfatlardan - Asıl sayılar ve sıra sayıları - Sayıların özellikleri.
Verbum: —
Sintaks : —

XXV.

Nomen : —
Verbum: —
Sintaks : Perfectum passivum participium'unun kullanılış ve anlamları: Participium coniunctum - Ablativus absolutus.

XXVI.

Nomen : Üçüncü isim çekimine giren tek şekilli sıfatlar - Sessiz çekimine giren sıfatlar - Karışık çekim - Tek şekilli sıfatlardan zarf yapılışı.
Verbum: —
Sintaks : —

XXVII.

Nomen : idem eadem idem ve ipse ipsa ipsum işaret zamirleri.
Verbum: v veya u ile biten perfectum gövdeleri.
Sintaks : İndirekt soru cümleleri.

XXVIII.

Nomen : —

Verbum: Praesens participium'u.

Sintaks : Participium'un kullanılışı (devam) : participium'un diğer anlamları - Ablativus absolutus kurmasında kullanılabilen isim ve sıfatlar.

	Sayfa
Lectio	1
Exercitium	17
Grammatica	29
Vocabula	77
Türkçe - Lâtince Sözlük	111
Index vocabulorum	118

LECTIO

I.

A) 1. Graecia est terra; Graecia et Italia sunt terrae. 2. Historia est magistra vitae. 3. Musae deae poetarum sunt. 4. Puella epistulam amicae legit; deinde amicae epistulam scribit. Quid scribit amicae? 5. In scholam vadimus; in schola linguam Latinam discimus. 6. Hodie in silva cum amicis ludimus. 7. Diligisne linguam Latinam? — Diligo. 8. Metuitisne magistram, puellae? — Non metuimus, diligimus magistram. 9. Aqua insulam undique cingit. 10. Diana septem filias Niobae sagittis occidit.

B) Persae in Graeciam invadunt. Incolae Graeciae patriam diligunt. Leonidas copias ad Thermopylas ducit et Persis resistit. Sed Ephialtes Persis viam ostendit. Itaque Persae copias Leonidae cingunt et occidunt. Deinde in Atticam invadunt. Incolae Athenarum ex patria in insulas cedunt; metuunt enim iniurias Persarum. Persae Athenas diruunt. Sed paulo post Themistocles Persas vincit.

II.

A) 1. Deus mundum regit. 2. Philosophia est animi medicina. 3. Aesculapius deus medicorum erat. 4. Priamo quinquaginta filii erant. 5. Aliter cum amico, aliter cum tyranno vivimus. 6. Nautae ventos metuebant et a deis auxilium petebant. 7. Romani bella et militiam, Graeci litteras diligebant. 8. Fluvius silvaeque oppidum undique cingunt. 9. Iustitia est fundamentum regnorum. 10. Nunquam periculum sine periculo vincitis. 11. Romani castra vallo fossaque cingebant. 12. Ludebasne in horto, amice? — Non ludebam, amico litteras scribebam.

B) Romani deos et in lucis et in templis colebant. Summus deus Romanorum Iuppiter erat. Iuppiter deus caeli, Neptunus deus aquae, Vulcanus deus flammae erat. Mars bella regebat, Apollo morbos pellebat. Romani etiam fluviorum deos colebant, maxime Tiberinum. Ante templa deorum arae erant. Ibi Romani victimas caedebant et vinum fundebant. Templa et statuas deorum et dearum saepe coronis cingebant.

III.

A) 1. Nunquam, amice, te relinquam, nunquam frustra a me auxilium petes. 2. Ludetisne in horto? — Ludemus, si amicus permittet. 3. Resistite inimicis; nisi resistetis, inimici in patriam invadent, oppida diruent, incolas occident; neque feminis neque liberis parcent. 4. Saguntini a Romanis auxilium contra Poenos petebant: "Poenis in animo est Saguntum diruere; nisi nobis statim auxilium mittetis, Poeni nos occident". 5. Si me diligis, litteras ad me mitte! 6. Nunc vino pellite curas! 7. Ostendite nobis viam! 8. Dic mihi: cur consilia amicorum contemnis?

B) Caesar Octavianus amicis "Cleopatra," inquit "regina Aegyptiorum, nobis inimica est. Itaque bellum cum regina geremus. Antonius socius Cleopatrae est. Defendite Italiam ab audacia Antonii et superbia Cleopatrae! Iam pecuniam a sociis exigunt, iam copias contra nos cogunt; mox in Graeciam transcendent atque inde Italiam petent. Sed di nobiscum sunt. Aegyptii nobis non resistent et copias Antonii facile vincemus. Populo Italiae et sociis otium reddemus. Post victoriam, amici, mecum triumphum agetis; coronis nos cingemus et summo deo Romanorum gratias agemus." Tum amici: "Di te protegent. Duc copias contra inimicos. Nos una tecum imperium contra Antonium et Cleopatram defendemus."

IV.

A) 1. Populus Romanus; lingua Latina; imperium Romanum. 2. Fluvii magni; insulae parvae; oppida clara. 3. Deus est benignus. 4. Fortuna caeca est. 5. Consilium amici bonum erat. 6. Verae amicitiae sempiternae sunt. 7. Romani multos deos colebant. 8. Diligimus oppida antiqua et oras amoenas Ioniae. 9. Beatus eris, si fortuna tua contentus eris. 10. Ubi eras, amice? — In theatro eram. 11. Eratisne in silva? — Eramus 12. Eritis sicut dei, bonum et malum cognoscetis. 13. Dic mihi verum! 14. Pauci vitia sua intellegunt. 15. Natura paucis contenta est. 16. Imperia iusta sunto! 17. Contenti estote!

B) Inter Gallos magna discordia erat. Itaque Haedui a Romanis, Sequani a Germanis auxilium petebant. Ariovistus, validus regulus Suebornm, Sequanis succurrebat. Sed post victoriam non modo ab Haeduis victis magna tributa exigebat, sed etiam Sequanos premebat et terram Sequanorum Suebis dividebat. Itaque Caesar constituit Gallis contra superbos Germanos succurrere. Legatos ad Ariovistum mittit. Legati dicunt: "Cur Haeduos, fidos socios populi Romani, premis? Nisi iniuriis

desistes, Caesar Haeduos ceterosque Gallos ab avaritia et saevitia tua armis defendet et te Gallia expellet." Tum Ariovistus "Auxilium meum" inguit "Gallis gratum erat. Itaque cum copiis meis in Gallia sum. Nunquam me cogetis Gallia excedere. Si vobis in animo est mecum armis contendere, accedite: te, Caesar, copiasque tuas non metuo."

V.

A) 1. Poeta Graecus; bonus agricola. 2. Boni nautae stellarum periti sunt. 3. Agricolae pii dis deabusque rusticis victimas caedunt. 4. Fagus alta; clara Rhodus. 5. In ripa fluvii altae populi erant. 6. Umbra pinorum altarum nobis iucunda est. 7. Pinus Cybelae grata est, Apollo laurum odoram diligit. 8. Ephesus templo Dianae clara erat. 9. Aegyptus Arabiae finitima est. 10. Humus arida non est fecunda. 11. Vulgus est imperitum.

B) 1. Quis nos defendet ab iniuriis adversariorum? 2. Cuis auxilio salvi erimus? 3. Cui gratias agemus? 4. A quo auxilium petemus? 5. Quem Caesar ad Ariovistum mittit? 6. Qui regulus Germanorum Gallos premebat? 7. Quos populos Galliae premebat? 8. Cui populo Galliae Romani erant amici? 9. Cuius populi terram Ariovistus Suebis dividebat? 10. Quae oppida diligimus? 11. Quibus telis Romani adversarios petebant? — Pilo et gladio. 12. Quos deos et quas deas Romani colebant?

VI.

A) 1. Sub vesperum oppidani portas claudebant. 2. Caesar socer Pompeii erat; sed inter socerum et generum magna discordia erat. 3. Nunc pueri estis, aliquando viri eritis. 4. Si vir es, resiste! 5. Inter bonos viros ac deos amicitia est (Seneca). 6. Triumviri veteranis suis apud Cremonam agros dividebant. 7. Agricola agros colit. 8. Iam frumenta in agris matura erant. 9. Dominus fidum ministrum diligit. 10. Cur magistro gratias non agitis? 11. Sude quisque fortunae faber est. 12. Alexandri Magni facta praeclara sunt.

B) 1. Saepe liberi virorum clarorum miseri sunt. 2. Germani a pueris liberam asperamque vitam agebant. 3. Teneras myrtos Venus diligit. 4. Via ducit per loca aspera. 5. Comitia populi libera sunto. 6. Patria nostra pulchra est. 7. Viri boni vita nunquam misera est. 8. Copiis nostris inimici non resistent. 9. Quis libros vestros leget? 10. Legionarius Romanus dextra pilum, sinistra scutum gerebat. 11. Aquila et apud Graecos et apud Romanos summo deo sacra erat.

VII.

A) 1. Amici mihi semper fuistis semperque eritis. 2. Ennius egregius poeta Romanus fuit. 3. Multis locis patriae nostrae olim magna oppida fuerunt. 4. Ubi fuisti? — In theatro fui; nunquam antea in theatro fueram. 5. Magister discipulos reprehendit, quod seduli non fuerunt. 6. Servus poenam metuebat, quod fidus non fuerat. 7. Si in Italia fueritis, poetas Romanos melius comprehendetis.

B) 1. Adeste miseris! 2. Augustus spectaculis et in theatro et in circo libenter adfuit. 3. Invidia inimicorum multis viris bonis obfuit. 4. Vir strenuus nunquam officio deerit. 5. Paestum aliquando oppidum splendidum Italiae fuit; nunc tantum reliquiae murorum et templorum supersunt. 6. Augustus multos annos imperio Romano praefuit. 7. Plurimis oppidis Graecis olim tyranni praefuerant. 8. Romani maesti erant, quod Augustus nimium diu aberat. 9. Inter oppidum Gallorum et castra Romanorum fluvius intererat; castra non longe a fluvio aberant. 10. Interfuistisne ludis amicorum nostrorum?

VIII.

A) 1. Caesar septem libros de bello Gallico scripsit. 2. Caesar post bellum Gallicum veteranos suos non dimisit, sed contra Pompeium duxit. 3. Cur eum verbis tuis laesisti? 4. Augustus Liviam in matrimonium duxit. 5. Livia Augusto nupsit. 6. Contentus ero, si verum dixeris. 7. Caesar imperium Romanum non diu rexit. 8. Cicero consilia mala Catilinae detexerat; itaque gloria eius magna erat.

B) Tarentum pulchrum oppidum Italiae erat. Tertio a. Chr. n. saeculo Tarentini cum adversariis Romanorum se coniunxerant. Itaque Romani iis bellum indixerunt. Tarentini legatos ad Pyrrhum miserunt. Pyrrhus legatis "Iam multa" inquit "bella gessi. Copiae meae multis proeliis interfuerunt. Vobis adero et Romanos agro Tarentino expellam." Pyrrhus, postquam Tarentinis auxilium suum promisit, copias suas ex Epiro in Italiam traduxit. Romani in agrum Tarentinum invaserant, sed postquam Pyrrhus adfuit, recesserunt. Pyrrhus bis cum iis conflixit, sed multos suorum amisit. Itaque legatos Romam misit, sed Romani bello desistere parati non erant. Tandem Pyrrhus copias suas in Epirum reduxit.

IX.

A) 1. Agrippa, amicus Augusti, ter consulatum gessit; in tertio consulatu Pantheum exstruxit. 2. Post interitum exercitus Romani Roma luctus et metus plena erat; iam populus et magistratus adventum exercitus Poenorum metuebant. 3. In aditu portus Alexandriae insula erat; ibi Ptolemaeus Pharum exstruxerat. 4. Castra Romanorum a fluvio mille passus aberant. 5. Legionarii Romani saevos impetus Germanorum metuebant. 6. Postquam peditatus recessit, equitatus in adversarios invasit. 7. Vultus sensus animi ostendunt. 8. SPQR = senatus populusque Romanus. 9. SC = senatus consultum.

B) 1. Tauri cornibus se defendunt. 2. Et in dextro et in sinistro cornu exercitus equitatus erat; equitatui praefecti praeerant. 3. Cur agricola manus ad caelum tendit? — A dis pluviam petit. 4. Ariovistus magnas manus Sueborum Rhenum traduxerat. 5. Parva domus — parva cura. 6. Amici nostri domos magnificas sibi exstruxerunt. 7. Viae latae, porticus magnificae, templa splendida ornamenta Syracusarum erant. 8. Idus Maiae Mercurio sacrae erant.

X.

A) 1. Vincat iustitia. 2. Vivat et crescat populus noster. 3. Di te protegant. 4. Suum quisque noscat ingenium. 5. Ergo bibamus. 6. Diligamus patriam, consulamus bonis. 7. Ne metuamus pericula. 8. Ne neglegamus officia nostra. 9. Quid dicam? 10. A quo auxilium petam?

B) 1. Verum dicat. 2. Peto ab eo, ut verum dicat. 3. Petebam ab eo, ut verum diceret. 4. Ne discedant. 5. Petimus ab amicis, ne discedant. 6. Petebamus ab amicis, ne discederent. 7. Petimus a te, ut nos statim dimittas. 8. Vobis permittam, ut in horto ludatis. 9. Quis vobis permisit, ut in horto luderetis? 10. Philosophi praescribunt, ut bonum, pulchrum, verum colamus et diligamus. 11. Senatus permisit, ut Tiberius triumphum ageret. 12. Edimus, ut vivamus; non vivimus, ut edamus. 13. Germanicus exercitum Rhenum traduxit, ut cum Cheruscis bellum gereret. 14. Graeci saepe legatos Delphos miserunt, ut oraculum consulerent. 15. Hannibal e patria discessit, ne in manus Romanorum incideret.

XI.

A) 1. Cum nostri ad oppidum accessissent castraque ibi ponerent, inimici clam oppido excesserunt et copias suas in silvas abduxerunt. 2. Cum Romani exercitum suum Hellespontum traduxissent, Antiochus usque ad Magnesiam recessit. 3. Cum multos nostrorum amiserimus, pugna desistamus. 4. Pyrrhus, cum multos suorum amisisset, bello

desistere paratus erat. 5. Amicus noster, cum litteras valde diligat, multos libros emit. 6. Si vitia tua corrigeres, te diligeremus; sed, cum vitia tua nimium diligas, nunquam amicus noster eris. 7. Nisi amicis in periculo succurreremus, officium nostrum neglegeremus. 8. Nisi consilia amicorum neglexisses, bona tua non amisisses.

B) Quarto a. Chr. n. saeculo Romani multa bella cum Gallis gesserunt. Aliquando Galli usque in agrum Latinum processerant. Exercitui Romano praeerat Camillus. Is, quod belli peritus et valde cautus erat, non permisit, ut sui castris excederent. Sed, cum Romani copias ex castris non educerent, unus e Gallis, equo et armis conspicuus, ad castra Romanorum accessit et "Procedat" inquit "unus ex exercitu vestro, ut armis contendamus!" Cum nemo processisset, Gallus Romanos illusit. Tum Valerius tribunus ad Camillum accessit et "Barbarus superbus" inquit "nos illudit, cum ad proelium non processerimus. Sed socii nos contemnent, nisi barbaro obsistemus. Proinde permitte, ut ego cum Gallo contendam." Cum Camillus permisisset, Valerius cum Gallo conflixit. Subito corvus in galea tribuni considit atque inde oculos Galli petit. Impetus corvi violentus erat et animum Galli a pugna avertebat. Itaque, cum Gallus scuto non satis se texisset, Valerius eum gladio transfixit. Laeti deinde Romani tribunum in castra sua reduxerunt et, quod corvus ei auxilio fuerat, "Corvinum" dixerunt.

XII.

A) 1. Amici simus! 2. Inter nos concordia sit! 3. Laetus essem, si vos mihi amici essetis. 4. Cum nobis adfueritis, victoria est nostra. 5. Si tu exercitui nostro praefuisses, victoria nostra fuisset. 6. Amici est amico in rebus adversis adesse. 7. Iustae semper sint causae bellorum. 8. Mihi crede: verum gaudium res severa est (Seneca). 9. Dies festi apud Romanos rebus divinis destinati erant. 10. Avaritia et luxuria multis populis perniciei fuerunt. 11. Livius res gestas populi Romani scripsit. 12. Res secundae saepe superbiam gignunt. 13. Res publica Romana saepe in magno periculo fuit.

B) Aliquando Romani exercitum contra Falerios duxerant. Exercitui Camillus, vir rei bellicae peritus, praeerat. Falisci ante oppidum aciem instruxerant, sed rem non bene gesserant. Neque tamen in rebus adversis spem dimiserunt. Multos iam dies oppidum suum a Romanis defendebant, quamquam inopia rerum necessariarum in oppido magna erat. Ibi autem servus erat magister puerorum; etiam in bello cum pueris in planitie ante oppidum ludebat, cum castra Romana ab oppido multum abessent.

Is, cum perfidus esset, pueros in castra Romana ad Camilum duxit. "Camille," inquit "Falerii nunc Romanorum sunt. Nam cum pueri Faliscorum in manibus tuis sint, Falisci tibi non iam resistent. Itaque praemium a te peto." Sed Camillus "Ignavus essem," inquit "si contra pueros bellum gererem. Neque Romanorum est fidem laedere. Itaque frustra a me praemium petis. Pueri te ad dominos tuos reducent, cum fidus non fueris." Deinde pueris: "Perfidia servi vobis perniciei fuisset, si Romani perfidi essent. Ego, cum vir Romanus sim, Faliscos acie, non dolo vincam. Proinde servum perfidum ad magistratus vestros reducite!"

XIII.

A) 1. Acies instructa — acies instructa est. 2. Auxilia missa — auxilia missa erant. 3. Exercitus ex castris eductus — exercitus ex castris eductus erit. 4. Camillus exercitum Romanum contra Falerios duxit — Exercitus Romanus a Camillo contra Falerios ductus est. 5. Legatus aciem idoneo loco instruxerat — Acies a legato idoneo loco instructa erat.

B) Primo bello Punico exercitus Romanus a Poenis in Sicilia in summum periculum deductus erat. Romani a Poenis paene cincti erant. Tum in consilio Q. Caedicius "Cum in summum" inquit "periculum deducti simus, unica spes in audacia est. Si parvam manum nostrorum ad tumulum propinquum miserimus, Poenus sine dubio magnum numerum copiarum suarum eo mittet. Manum parvam Poeni vincent; sed interea exercitus noster abductus erit". Tum consul "Consilium tuum, tribune," inquit "bonum est. Sed quis ducet manum ad tumulum?" Tribunus "Si alius" inquit "non est, ego sum paratus. Neque enim frustra vixero, si pro te et pro re publica Romana vitam amisero." Consul "Gratias tibi ago;" inquit "di tibi adsint". Cum manus a tribuno ad tumulum ducta esset, statim adversus eam universus peditatus et equitatus Poenorum missus est. Romanorum manus cincta est. Sed interim exercitus Romanus e periculo eductus erat.

XIV.

A) 1. A principio populus Romanus sub imperio regum fuit. 2. Memoria Romuli, primi regis et conditoris Romae, Romanis semper cara fuit. 3. Post reges rei publicae Romanae consules praeerant; imperium consulum annuum erat. 4. In rebus arduis Romani dictatorem dicebant. 5. Mos maiorum apud Romanos magno in honore erat. 6. Gaudia principium nostri sunt saepe doloris. 7. Apud Graecos Demosthenes,

apud Romanos Cicero clari oratores fuerunt. 8. Hercules res arduas plenasque laborum et periculorum gessit. 9. Secundum Aristotelem hominis est intellegere et agere. 10. Aesculapius filius Apollinis est.

B) Bello Latino consules fuerunt T. Manlius Torquatus et P. Decius Mus. Latini lingua, moribus, armis cum Romanis congruebant. Itaque a consulibus edictum est, ne miles Romanus extra ordinem cum adversario armis contenderet. Paulo post Manlius, consulis filius, cum nonnullis equitibus missus ad castra Latinorum accessit. Ibi cum equites Romani a duce Latinorum superbis verbis illusi essent, Manlius iratus imperium consulum neglexit. Conflixit cum duce Latino eumque gladio transfixit. Laeti comites Manlium in castra Romana ad patrem reduxerunt. Sed consul iratus statim milites ante praetorium cogit et "Cum tu, T. Manli," inquit "imperium consulum neglexeris et adversus edictum nostrum extra ordinem cum adversario conflixeris, disciplinam belli laesisti. Itaque te lictori ad supplicium tradam, ut disciplinam a te laesam poena restituas." Cum supplicium sumptum esset, dolor terrorque militum magnus erat. Inde severa et dura imperia "imperia Manliana" dicebant.

XV.

A) 1. Tiberius, qui ab Augusto in Germaniam missus erat, (—, cuius peritia belli magna erat| —, cui Augustus bellum Germanicum commiserat| —, quem milites ut patrem diligebant| —, a quo copiae Romanae in Germaniam ductae erant,) rem bene gessit. 2. Copiae, quae a Tiberio in Germaniam ductae erant, (—, quarum dux Tiberius erat| —, quibus Tiberius praeerat| —, quas Augustus in Germaniam miserat,) rem bene gesserunt. 3. Miser est is, qui avarus est. 4. Miser est is, cui nihil satis est. 5. Beatus est is, quem homines diligunt. 6. Beati sunt ii, quos homines diligunt.

B) 1. Bis vincit, qui se vincit in victoria. 2. Augustus eo anno natus est, quo Cicero consulatum gessit. 3. Nusquam est, qui ubique est (Seneca). 4. Sum, quod eris; quod es, ante fui (bir mezar yazıtı). 5. Quod disces, tibi disces. 6. Quod hodie non est, cras erit. 7. Pharsalus, ubi Caesar cum Pompeio conflixit, oppidum Thessaliae est. 8. Caesar Helvetios ea loca, unde discesserant, repetere coegit (zorladı), ne Germani, qui trans Rhenum incolebant, in agrum Helvetium invaderant. 9. Caesar eo, quo Labienum miserat, contendit.

XVI.

A) 1. Homines hominibus plurimum et prosunt et obsunt. 2. Aliis prodes, si poteris, ut tibi prosint, si poterunt. 3. Vir bonus est is, qui prodest, quibus potest. 4. Quid prodest homini stulto pecunia, cum sapientiam emere non possit? 5. Per risum multum poteris cognoscere stultum. 6. Nos multa possumus, quae antiqui non potuerunt. 7. Plus in negotiis res quam verba prosunt. 8. Prosit! 9. Dolus tibi in ea re non proderit. 10. Amicis profuisse, ceteris nunquam obfuisse viro probo maximum gaudium erit. 11. Haedui, cum se suaque ab Helvetiis defendere non possent, legatos ad Caesarem miserunt.

B) 1. Impetus corvi tam violentus erat, ut animum Galli a pugna averteret. 2. Tantus terror incolas invaserat, ut portas oppidi clauderent. 3. Erat in castris Pompeianorum summa inopia pabuli, adeo ut foliis equos alerent. 4. Amicus tam aegrotus est, ut surgere non possit. 5. Via tam aspera erat, ut milites vix procedere possent.

XVII.

A) 1. Romani bella gerunt. — Bella a Romanis geruntur. 2. A quo ducimini, milites? — A bono duce ducimur. 3. Si firmo animo eritis, non vincemini. 4. Id bellum, quod a Romanis cum Hannibale, duce Poenorum, gestum est, secundum bellum Punicum dicitur. 5. Vir bonus potest miser dici, miser esse non potest. 6. Amicus certus in re incerta cernitur. 7. Milites nostri, cum undique premerentur, recesserunt.

B) Ad Cannas tot milites Romani amissi sunt, ut ea pugna rei publicae Romanae paene perniciei esset. Propter interitum exercitus incolae Romae in magno timore erant. In senatu autem de custodia Romae consulebatur. Ibi Q. Fabius Maximus, qui proximo anno dictator fuerat, "Magnis curis" inquit "laboribusque premimur, sed ignavi essemus, si rebus adveris opprimeremur. Non lacrimis luctuque, sed constantia res Romana defendetur. Itaque edicamus, ut portae claudantur et armati in muris disponantur. Praeterea nuntii mittantur, ut fortuna consulum et reliquiarum exercitus cognoscatur. Falsis enim rumoribus incolae falluntur. Nos nunquam spem dimittemus, nunquam Roma Poeno tradetur." Cum Fabius patres ad sententiam suam perduxisset, edictum est, ut portae clauderentur, ut etiam servi armis instruerentur, ut equites via Appia et Latina miterentur.

XVIII.

A) 1. Sermo est imago animi. 2. Societatis vinculum est oratio. 3. Caesar decimae legioni maxime confidebat. 4. Lucem redde tuae, dux bone, patriae! 5. Virtutis gloria sempiterna est. 6. Salus publica suprema lex esto. 7. Initium est salutis notitia peccati. 8. Parva domus — magna quies. 9. Arbor mala — mala mala.

10. Cerno te frustra contendere. 11. Intellego vos strenuos fuisse. 12. Nonne intellegitis tribunos plebis auctoritatem senatus contemnere? 13. Cernimus exercitum in castra reduci. 14. Caesar dicit Gallos deorum maxime Mercurium colere. 15. Legatus Caesari scripsit Gallos castra inclusisse et in castris magnam inopiam frumenti esse. 16. Apertum est te verum non dicere. 17. Certum est amicitiam inter malos homines esse non posse. 18. Notum est Aristotelem praeceptorem Alexandri Magni fuisse.

B) Cn. Marcius Coriolanus, cum plebem superbis verbis illusisset, e civitate exclusus erat. Itaque ad Volscos, inimicos Romanorum, secessit et iis auxilium suum contra Romanos promisit. Cum exercitus Volscorum, cui Coriolanus praeerat, non multum a Roma abesset, senatus oratores misit, ut cum Coriolano de condicionibus pacis agerent. Sed legatio a Coriolano cum acerbo responso remissa est. Cum etiam sacerdotes frustra in castra Volscorum missi essent, Veturia, Coriolani mater, "Cernitis" inquit "viros frustra legatos esse missos; proinde nos mulieres patriam precibus defendamus!" Deinde cum Volumnia, uxore Coriolani, et magna manu mulierum in castra Volscorum perrexit. Cum ad filium ducta esset, "Cerno" inquit "a te multos milites adductos esse. Si tibi in animo est Romam diruere, pone tibi ante oculos intra muros Romae matrem, uxorem liberosque tuos esse. De me nihil dicam; uxoris et liberorum memento, qui, si perges, aut occidentur aut in servitutem abducentur." Matris vocibus vir superbus flexus est. "Intellego," inquit "mater, consilium meum malum fuisse; itaque statim Volscos ex agro Romano reducam." Scriptores Coriolanum a Volscis iratis ad necem esse ductum tradunt.

XIX.

A) 1. Vos libros Caesaris nondum legistis, sed mox legetis. 2. Post victoriam duces Romani, si senatus permittebat, triumphum agebant. 3. C. Iulius Caesar multos triumphos egit. 4. Caesari in animo erat Galliam vincere et subigere. 5. Caesar Galliam vicit et subegit. 6. Ariovistus "Nunquam" inquit "Caesar me coget Gallia excedere." 7. Ariovistus Galliam subegisset, nisi Caesar eum vicisset et Gallia excedere coegisset. 8. Romani pii erant. — Romani deos pie colebant. 9. Servus miser est. — Servus misere vivit. 10. Agricola impiger est. — Agricola impigre agrum colit. 11. Dux bonus est. — Dux rem bene gerit.

B) Prisci Romani non modo fortitudine clari erant, sed etiam modeste et probe vivebant. Virum summa virtute et probitate fuisse Cincinnatum scriptores tradunt. Is consul multas civitates in dicionem Romanam redegerat. Sed, postquam consulatum bene peregit, in parvum agrum suum recessit. Postero anno exercitus Romanus cum consulibus in saltu ab Aequis cinctus est. Tum senatus necessitate coactus Cincinnatum, quamquam a Roma aberat, dictatorem dixit. Legatio cum litteris senatus ad eum mittitur. Eo die Cincinnatus manibus suis agrum colebat. Postquam litteras perlegit, civitatem in summo periculo esse intellexit. Propterea statim Romam perrexit et magna celeritate novum exercitum collegit. Paulo post Aequos vicit, civitatem eorum in dicionem populi Romani redegit, magnum triumphum egit. Sed post triumphum vir probus in agrum suum recessit ibique modeste vivere perrexit.

XX.

A) 1. Honos est onus. 2. Summum ius — summa iniuria. 3. Quot capita, tot sententiae. 4. Roma caput Italiae est. 5. Viro Romano libero tria nomina erant. 6. Minuentur atrae carmine curae. 7. Caesar cum sescentis equitibus magnis itineribus in Hispaniam perrexit. 8. Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, postea rescribam. 9. Funus imperatoris Augusti magnificum fuit; corpus in campo Martio combustum est; ossa legerunt equites Romani nudis pedibus. 10. Augustus in sexto consulatu suo Mausoleum exstruxerat, opus magnificum, cuius reliquiae supersunt; ante Mausoleum in duabus pilis ex aere factis res gestae imperatoris scriptae erant. 11. Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo! 12. Tu, si animo regeris, rex es; si corpore, servus.

B) Tarquinium, septimum regem Romanorum, civitatem superbe rexisse notum est. Itaque ei cognomen Superbus erat. Is cuncta divina humanaque iura contemnebat. Tot et tanta scelera commisit, ut Romani eum et filios eius Roma expellere constituerent. Ex eo tempore nomen regium Romanis odio fuit. Tarquinius genere Etruscus erat. Itaque, postquam Roma excedere coactus est, ad Porsennam, regem Clusinorum, perrexit; nam Clusium oppidum Etruscum erat. Precibus Tarquinii

E. Ü.
EDEBİYAT FAK. Kütüphanesi

adductus Porsenna populo Romano bellum indixit, ut Tarquinium in regnum restitueret. Nunquam antea Roma in tanto discrimine fuerat; nam eo tempore valida Etruscorum res erat magnumque Porsennae nomen. Itaque Romani regi in acie resistere non potuerunt.

XXI.

A) 1. Cn. Marcio cognomen erat Coriolanus; nam Coriolos, oppidum Volscorum, ceperat. 2. Non est vir strenuus, qui laborem fugit. Non sunt strenui, qui laborem fugiunt. Non essetis strenui, si laborem fugeretis. 3. Puras deus, non plenas aspicit manus. 4. Lex Solonis erat: Qui exulem receperit, ipse in exilium eiciatur. 5. "Iacta est alea" dixit Caesar et exercitum Rubiconem traiecit. 6. Non est tuum, fortuna quod fecit tuum. 7. Male vivunt, qui semper vivere incipiunt. 8. Caesar consilium cepit copias Rhenum traicere, ut Germanis timorem iniceret. Copias traiectas in Sugambros duxit. Sed, cum Sugambri in silvas fugissent, agmen ad Rhenum reduxit. 9. Rex erit, qui recte faciet; qui non faciet, non erit.

B) Cum exercitus Porsennae in agrum Romanum invasisset, agricolae agros reliquerunt et cum pecoribus suis rure Romam confugerunt. Rex summa celeritate processit et Romam cepisset, nisi unus vir fuisset, Horatius Cocles. Is forte eo die in statione erat ad pontem, qui oppidum cum regione Ianiculi iungebat. Eum pontem Romani non interruperant. Cum agmen Etruscorum accederet, Horatius militibus dixit, ut pontem interrumperent. Ipse autem solus impetum adversariorum excepit. Diu Horatius, quamquam multa vulnera acceperat, Etruscis resistebat. Tandem, cum pontem interruptum esse cerneret, "Tiberine pater," inquit "peto a te, ut me propitio flumine accipias." Tum armatus in flumen se deiecit. Quamquam undique tela in eum coniciebantur, ad suos se recipere potuit. Rex autem Porsenna, cum oppidum primo impetu capere non potuisset, Romam obsidione cingere coactus est. Sed paulo post pacem cum Romanis fecit. Horatius autem pretium virtutis a grata civitate magnum munus accepit.

XXII.

A) 1. Italia inter duo maria sita est; nomina marium sunt mare Tyrrhenum et mare Hadriaticum. 2. Roma a mari quattuordecim milia passuum aberat. 3. Urbs Roma ad Tiberim sita est; in Tiberi insula est; ibi aedes Aesculapii fuit. 4. In portu Ostiae imperator Claudius turrim altam exstruxerat, ut cursus navium inde nocturnis ignibus

regerentur. 5. Roma plena aedium pulchrarum erat. 6. Caesar copias ponte Rhenum traduxit. 7. Neccessitas est mater artium. 8. Vim vi repellere aequum est. 9. Febris magnam sitim efficit et vires corporis minuit. 10. Bonorum civium vita nobis exemplo sit. 11. Qui grate beneficium accipit, primam eius pensionem solvit (Seneca).

B) Notum est quarto saeculo exercitum Romanum a Gallis ad flumen Alliam magnam cladem accepisse. Pauci iuvenum caedi superfuerant. Itaque magistratus constituerant, ut sola arx defenderetur, urbs autem a civibus relinqueretur. Paulo post Galli in urbem invaserunt. Postquam aedificia urbis incenderunt, in arcem impetum fecerunt. Sed Manlius cum paucis iuvenibus arcem summa vi defendit. Itaque dux hostium Romanos fame vincere constituit.

Iam sextum mensem Romani in arce obsidione premebantur. Tum pauci Galli media nocte magno silentio summum montem ascenderunt. Non canes, non custodes, sed anseres, animalia sacra, quae in templo Iunonis alebantur, hostes animadverterunt. Eorum animalium vocibus excitus Manlius arma cepit et cum suis hostes in fugam coniecit. Ita tum Romani Iunonis auxilio vim hostium defenderunt.

XXIII.

A) 1. Ariovistus Caesari "Provincia mea" inquit "haec est Gallia, sicut illa vestra." 2. Caesar beneficiis atque munificentia magnus erat, integritate vitae Cato; ille mansuetudine et misericordia clarus factus erat, huic severitas dignitatem addiderat. 3. Galli deorum maxime Mercurium colebant; huius erant plurima simulacra, hunc inventorem artium, hunc viarum atque itinerum ducem esse credebant. 4. Hoc mihi, illud tibi iucundum est. 5. Notum est illud Aristotelis: Amicitia est unus animus in duobus corporibus.

B) 1. Ad Pharsalum ex Pompeiano exercitu circiter milia quindecim ceciderunt. 2. Illa nocte accidit, ut luna esset plena. 3. Nihil accidere bono viro mali potest. 4. Rumpitur arcus, quem nimium tetendisti. 5. Cato senex litteras Graecas didicit. 6. Facilitate atque humanitate sua multos sibi amicos peperit. 7. Rem acu tetigisti. 8. Verres navem, quam Milesios poposcerat, Milesiis non reddidit, sed hostibus populi Romani vendidit. 9. Fama est Romulum, postquam Romam condidit, Remum, fratrem suum, occidisse. 10. Nuntius ab imperatore missus accurrit et "Hostes," inquit "qui oppida nostra combusserunt, qui neque liberis neque feminis pepercerunt, tandem poenas iniuriarum suarum

pependerunt. Exercitus eorum caesus fususque est." 11. Dum vixi, bibi libenter; bibite vos, qui vivitis (mezar yazıtı).

XXIV.

A) 1. Impetus equester acer fuit; pugna equestris acris fuit; proelium equestre acre fuit. 2. In Capitolio statua equestris imperatoris Marci Aurelii est. 3. Epicurus de dolore: Si gravis, brevis; si longus, levis. 4. Ars longa, vita brevis. 5. O nomen dulce libertatis! 6. Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto. 7. Quod suave est aliis, aliis est amarum. 8. Omne principium difficile est. 9. Non omnia possumus omnes. 10. Nondum omnium dierum sol occidit. 11. Caesar tres libros de bello civili scripsit. 12. Fortiter in re, suaviter in modo. 13. Milites facile hostium copias vicerunt. 14. Necesse est lusor bonus aliter pilam conlusori longo, aliter brevi mittat.

B) Apud Romanos initio Martius primus anni mensis erat, Aprilis secundus, Maius tertius, Iunius quartus. Quinto mensi quondam nomen erat Quinctilis, sexto Sextilis. Postea his mensibus nomina Iulius et Augustus indita sunt; nam mense Quinctili Caesar natus erat, Sextili Augusto et primus consulatus et insignes victoriae obtigerant. Mensis September olim, ut nomen ostendit, septimus mensis erat, October octavus, November nonus, December decimus. Sed ab anno a. Chr. n. centesimo quinquagesimo tertio annus Romanus a mense Ianuario initium capiebat, ita ut September non iam septimus, sed nonus mensis esset, October decimus, November undecimus, December duodecimus. Mensis September natali imperatoris Augusti insignis erat. Mense Decembri Horatius natus est, Idibus Octobribus Vergilius.

XXV.

A) 1. Romani in arce cincti Gallis resistebant. 2. Parvus erat numerus Romanorum in arce cinctorum. 3. Romanis in arce cinctis frumentum deerat. 4. Romani ad Alliam victi constituerunt urbem relinquere et solam arcem defendere. 5. Hostium victorum castra a militibus nostris capta sunt. 6. Hostibus victis nemo succurrit. 7. Rex Tarquinius Roma expulsus ad Porsennam confugit. 8. Regem Tarquinium Roma expulsum Porsenna recepit.

B) 1. Exercitu ad Alliam victo magistratus solam arcem defendere constituerunt. 2. Urbe capta Galli impetum in arcem fecerunt. 3. Regibus expulsis consules rei publicae Romanae praeerant. 4. Caesar nondum hieme confecta proximis quattuor legionibus coactis de improviso

in fines Nerviorum contendit et magno pecoris atque hominum numero capto atque ea praeda militibus concessa Nervios se dedere coegit; eo celeriter confecto negotio rursus in hiberna legiones reduxit. 5. Magna parte navium amissa classis hostium in portum confugit. 6. Oratoribus a Coriolano remissis mater uxorque Coriolani in castra Volscorum contenderunt. 7. Senatus imperatori re bene gesta concessit, ut triumphum ageret.

XXVI.

A) 1. Veritatis simplex oratio est. 2. Felix, qui potuit rerum cognoscere causas! 3. Longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. 4. Consilia hominum nimis audacium non semper prudentia sunt. 6. Quidquid agis, prudenter agas et respice finem! 7. Rebus feliciter gestis imperator exercitum dimisit.

B) Secundo a. Chr. n. saeculo Romani potentibus populis regibusque victis domini orbis terrarum facti erant. Sed civitatis status infelix erat. Nam agricolae aere alieno oppressi omnia sua vendere coacti erant. Itaque solum Italiae in manibus paucorum divitum erat; multitudo autem pauperum in urbem Romam confugerat ibique misere vivebat. Tum Tib. Gracchus, nobilis iuvenis, pauperum miseriis succurrere constituit. Anno a. Chr. n. centesimo tricesimo tertio tribunus plebis electus id egit, ut ager publicus pauperibus civibus divideretur. Vehementi oratione cum ingenti assensu populi in contione causam pauperum egit. "Veteribus temporibus" inquit "res publica nostra sana erat; tum neque pauperibus res ad vitam necessariae deerant neque divites nimis luxuriose vivebant. Omnes enim cives participes agri publici erant. Nunc dives omnium commodorum vitae particeps est, pauper autem, cui praeter spiritum et lucem nihil relictum est, a divite opprimitur. Ubi nunc vetus libertas est? Ubi est virtus temporum veterum? Ubi sunt leges et instituta vetera rei publicae? Memores estote illius libertatis pristinae! Ego id agam, ut multitudini inopum paria iura reddantur."

XXVII.

A) 1. Si duo faciunt idem, non est idem. 2. In idem flumen bis descendimus et non descendimus (Heraclitus). 3. Idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuit (Cicero). 4. Bibulus naves Caesaris, quas ceperat, omnes incendit eodemque igne nautas dominosque navium interfecit. 5. Veritas se ipsa defendit. 6. Nosce te ipsum! 7. Quod cupimus, credimus libenter. 8. Iniuriis Ariovisti lacessiti Galli a Caesare

auxilium petiverunt. 9. Nisi severitis, non metetis. 10 Dux ex captivis cognovit hostes ad flumen castra posuisse. 11. Sero resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos (Cicero).

B) Ultimis annis secundi belli Punici Romanorum spes et exspectatio erat maxima et animi eorum ad omnia omina intenti erant. Itaque, cum saepe lapides de caelo cecidissent, anxii de eventu belli libros Sibyllinos consuluerunt. His libris inerant oracula Graecis versibus scripta, quibus fata rei publicae portendi Romani credebant. Romanis hoc carmen obtigit: "Quando hostis alienigena terram Italiam invaserit, is pelli vincique poterit, si mater Idaea a Pessinunte Romam arcessita erit." Hoc oraculo cognito senatus legatos in Asiam ad regem Attalum misit. Rex, posquam eos comiter accepit, ex iis quaesivit, quae tam longi itineris causa esset. Cum legati ei exposuissent, qua de causa missi essent et quid senatus ab eo peteret, rex "Amicitiam populi Romani" inquit "summo semper studio colui; itaque faciam, quod a me petivistis." Statim legatos Pessinuntem in Phrygiam deduxit sacrumque iis lapidem, quam matrem deum esse incolae illarum regionum dicebant, tradidit.

XXVIII.

A) 1. Multa petentibus desunt multa. 2. Dona praesentis cape laetus horae. 3. Gaius absens tribunus plebis factus est. 4. Plebs Gaium absentem tribunum plebis fecit. 5. Magnus erat dolor Hannibalis ex Italia discedentis. 6. Domino absente fures in domum invaserunt. 7. Coriolanus iram plebis metuens ad Volscos secessit. 8. Absente imperatore legiones ex hibernis educi non potuerunt. 9. Romani compluribus pugnis ab Hannibale victi spem salutis non dimiserunt. 10. Multis vulneribus acceptis milites pugna non destiterunt. 11. Caesar oppidum propter latitudinem fossae murique altitudinem paucis defendentibus capere non potuit.

B) 1. Omnia credentes ab hominibus facile fallemini. 2. Quis mortem metuens beatus esse potest? 3. Homini nihil agenti dies est longus. 4. Mendaci homini ne verum quidem dicenti credimus. 5. Plato scribens mortuus est (ölmüştür). 6. Crescente pecunia crescit avaritia. 7. Imperator praesente exercitu cum legatis hostium de condicionibus pacis egit.
